



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Somnium Hipponense Sive De controuersijs Theologicis modernis Avgvstini Ivdicivm

Stockmans, Pierre

Parisiis, 1641

urn:nbn:de:hbz:466:1-40377





Th
2169

N. 2169.

D. III
2A







SOMNIUM HIPPONENSE

S I V E

De controuersijs Theologicis
modernis

AUGUSTINI

IVDICIVM

RELATORE

PHILETYMO S. T. Baccal. Formato.



P A R I S I I S.

Sumptibus MATTHÆI GUILLEMOT.

Anno M. DC. XLI;

AD LECTOREM.

Non mirare Lector, scriptum hoc sine Cen-
sura prodire. Si enim nec *Theses solemnissi-*
ma, nec *supplex libellus*, nec *memoriale*, nec *Theses*
Apologetica, neque *appendix ad easdem*, nec *Iansenij*
cenfurarum & *invectivarum* confarcinatio,
nec commentarius *ad rem ad rem* dictus, etiam
postea tribus petitionibus augmentatus: si, in-
quam, hæc omnia Censura non egent; quid ea
opus est somnio?



PARISIIS
MATTHIÆ GUILLEMO.

M. DC. LXX.



Vid Hippone in Africa nupere actum sit, volo memoriae proderet. Frustra me respicis cum digito labijs impressio Harpocrates. Non debet silentio perire res tam magna. Dicam quae vidi, quae audiui, quibus interfui, quorum pars fui etsi non magna. Si vera dicam, agnoscite: si falsa ignoscite quia & ego rationem scio, quam non mentiar.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris.

Aduenit, & dono Diuum gratissima serpit.

Cum tetigit me virgâ valentiore somnus. Veris tempus erat: itaque multae & variae circum caput meum volitantes umbræ. Donec sub auroram somnium ad me venit longum, firmum, certum: nam rectâ aduolare mihi visum est cornea porta. Eius autem hic habitus, hæc forma.

Visus mihi sum Hippone esse apud summum templum. Solitudo primum circa me; inde ut fluctus est mari paulatim surgere visa ingens multitudo Patrum Purpuratorum. Violaceorum, Sacerdotum, Religiosorum, Nudipedum, Calceatorum, Atrorum, Candidorum, omnicolorum. Rectâ illis iter ad domum Præsulis Augustini.

Inspexi curiosè, si quis mihi notus. Ecce autem uideo Iansenium comprehensum vndiq; ab Clericis Aetolis instar rei. Ah quo te Pater? inquam, quo te hi laterones? Et iam ruebam in amplexus. Sed adstans vultuosus aliquis me arcuit. Iansenius verò, vadunt, inquit, me immolatum pro veritate. Sed o veritas! &

protractus est ultra. Specto intentè sequaces: & te dulcissime video? inquam ad Eubulū. At ille præter mortem fat toruè: tu quis; aut vnde? itaque ergò excidit tibi Philetymus tuus? inquam: an notorem me dare vis? & iam prensabam dexteram; cum ille effusus in me, vigilon? an dormio? & satis acceptum te esse Philetymum meum? Quis Deus autem est Belgiste hic stetit? Huc, inquam, me per somnium duxit somnus. Sed dic Sodes, hanc turbam scis quæ sit? Vah! inquit, turbam tu appellas? Patres sunt Romæ huc legati. Ego intentior iam & attentior; Patres ais? quo autem, & quid? Sanctissimus Dominus, inquit, hoc concilium Hippone apud Augustinum haberi voluit, ut causa Iansenij disceptetur; imitatus Clementem, qui omnes controuersias de *Auxilijs* ab hoc Iudice definiri voluit. Parabam quærere. sed Eubulus me duxit porro ad vestibulū ipsius domus. Video intrantes Purpuratos. Violaceosq; grauitè & cum dignitate: nisi quod vnus circumstrepentibus Aetolis cinctus lectitabat nescio quid, & sermonem intermiscibat. Cateri intrabant parum decorè. Ego ad Eubulum, eugepæ! confusa turba, trudent velut sues: Tam frequentes autem hac missi? Mihi Eubulus, tam frequentes, inquit, quia de summa re agitabitur. Dum fabulamur, turba ecce subito se findit tamquam locum datura transeunti cuiuspiam. Ad me Eubulus, Augustinus adest. Ego admirans nullosei comites video intimè laneos; extimè lineos. Sed & qui latusei elaudunt, qui? Discipuli, inquit, duo Prosper & Fulgentius. De lineis

4
quod vis, scio fabulas esse. Sed quid
scimus? ait, iam introitum oportuit.
At ego, etiam tu de hoc Consistorio
eris? Non, inquit, ut ius dicendæ sen-
tentia habeam; sed Purpuratorum
vni affecta & à consiliis Theologicis
sum. Sequere: & simul traxit me tu-
nicâ renitentem. Non hercle ego,
non ego, inquam. Metuis? ait. Vali-
dissimè, inquit: scis nullam hic mihi
personam esse. Ille ridens, vides, in-
quit, promiscuam turbam irrûpere:
tu Lector Iubilatus S. Theologiæ
quidni possis? Ego igitur sui me tra-
hi, & intraui. Circumspicio vndi-
que: nihil culti, nihil ornati, campana
supellex, famuli pauci, nullum vesti-
gium alterius sexus. Memineram il-
lud; *qua cum sorore mea sum, sorores meæ
non sunt.* Ultrâ progressus alio in con-
clavi video subsellia satis longa: in
summo sedentes Purpuratos; inter
quos notescere mihi cœpit ille, què
in aditu Ætolorum examine obse-
sum videram. Nomen ei ab antro: fa-
cies nuper apud Belgas visa. Purpu-
ratis proximi erant Violacei: deinde
Ordinum Generales: quos inter
contentio quædam de ordine sessio-
pis apparebat. Ætolis quatientibus
caput, quod Mutium suum obsole-
torum Ordinum primatibus non-
dum potuissent prætrudere. Reli-
quæ videbantur controuersia Tri-
dentinæ. Vir erat Mutius annis gra-
uis, nec subsellium suum sine Socio-
rum ope scandere poterat. Dicebat
Eubulus eum sexto iam lustro Socio-
tatem humeris sustinere: Atlanti-
cum sanè onus tot spoliis & trophæis
graue. Post Generales cæteri Reli-
giosi & Sacerdotes cōcederunt: ple-
rique pileis violaceis profitebantur
se Magistros Theologiæ: reliquos

haur

atēbat Eubulus Lectores esse, lectis-
simos omnes Theologos, quippe
qui magnam partē ætatis in Aristo-
tele & Scholasticis triuerant. In me-
dio horum stabat Iansenius habitum
speciemque Christo comprehenso
similis. Sedebant verò Patres variè
murmurantes muginâtesque. Cum
è loco suo Augustinus silentium
manu poposset, & impetrauit.

Conticuere omnes; intentique ora tene-
bant:

Inde Augustinus cathedra sic orsus ab
alta est.

Quod olim ab Ecclesia mihi delegatū mu-
nus fuit, ut aduersus hostes gratiæ veritatē
Catholicam scribendo assererem, id diuino
beneficio ita me sperauerā impleuisse, ut po-
steritati de genuino Ecclesiæ sensu nulla pos-
set dubitatio superesse. Tam diffuse enim hoc
argumentum executus sum ut huius potissi-
mum causâ mihi aliquando exprobatum
multiloquium existimem. Sed frustratum
me spe meâ dolui, cum eas nuper de gratiâ
& libero arbitrio controuersias excitatas
intellexi quasi aut non scripserim omnia,
aut ita scripserim, ut controuentionum tantum
materiam potuerim præbere. Sed vereor ne
hoc ipsum rursus in causa sit, quod Adreme-
tinos Monachos aliquando transuersos egit;
quod semel lectos libros meos arbitrati sunt
satis sibi innotescere potuisse; cum si quis
eos fructuosissimos habere voluerit, eum
pigere non debeat relegendo habere no-
tissimos. Verum cum de re tota cognos-
cendi mihi à Sancta Sede auctoritas delega-
ta sit, non præoccupabo oratione meâ huius
controuersia causas: sed ex integro dicentes
audiam eos, quibus in hoc amplissimo cœtu
accusandi defendendique partes eadem Se-
des committendas censuit.)

His dictis conuersi sunt omnium
oculi ad Sociorum turmam; è qua
surgere vilis quispiam, ore niger,
gladia-

lib. 1. de
Correp.

gladiatorii lacertis, homo, ut appa-
rebat, audax. Pulsavi latus Eubuli;
quis ille? quis? Pater Nugo, inquit,
primus sine controuersia Europæ
Theologus: ita novis quotidie subti-
litate Theologiam fœcundat, ut
spes sit, omnia propediç probabilia
fore. Itanè, inquam, noua Theolo-
gia nunc in pretio? Eubulus subri-
dens, in vetustis & obsoletis adhuc
hæres, postquam beneficio Aristote-
lis tantum lucis nunc Theologiæ il-
latum est? Obstupui ad hoc respon-
sum, & regesturiebã multa. Sed sur-
rexit interea Nugo infensus, mi-
nax oculis, vultu; atque ita inquit.

Non vnum crimen, Sanctissime Præsul,
sub nominis tui velamento designare ausus
est hic versipellis, quæ vides Pontificum pro-
hibitiones conculcare, damnata dogmata
ab inferis reuocare, Scholasticam Theolo-
giam vnicū fidei fulcimentum, eiusque Co-
rripheos explodere, Societatem denique no-
stram, hoc est, munitissimam Ecclesiæ ar-
cem oppugnare impunè se posse credidit, si
sacro tuo nomine vteretur. Sed veteratorie
Hæreticorum artes nimis iam notæ sunt, his
præferim, qui, cum implacabile cum iis
bellum gerant, versutias eorum & strophas
omnes exploratas habent. Itaque à Patribus
nostris mox deprehensus, atque ad Sanctis-
simum Dominum deductus, nouissime ad
hoc Tribunal tuum censendus & puniendus
remissus est. Quæ dixi summa scelerum ca-
pita libri ab eo editi ita manifestè testantur,
ut superuacuum censeam, de re confessis ver-
ba funderè. quod tamen quia facere iussus
sum, paucis exequar Sanctissimi Pontifices
Paulus V. &, qui feliciter hodie præsidet,
Urbanus, cum animaduertissent doctrinam
de auxiliis diuinis tam intellectu obscuram
& tractatu teneram esse, ut cuius eam pro-
prio ingenij captu tractanti in hæresim vel
hæreseos confinia labi proclive sit, & dum

5
quisque opiniones suas tueri studet, conten-
tiones & scandala inde exorta fuisse, pri-
dentissime cauerunt, & sub grauibus censu-
ris aliisque pœnis prohibuerunt, ne quis
sine Apostolica Sedis licentia de predicta
materia aliquid auderet in lucem mittere
aut euulgare. Quod dum pluribus annis ab
omnibus, & omnium religiosissime à No-
stris obseruatum fuit, produit in Vniuersi-
tate Louaniensi typis excusum infaustum
huius tenebrionis opus, frustra adnitente
per litteras Internuntio Apostolico, ut se-
cundum Pontificia decreta editio supprime-
retur. Non ignoro, quid ad excusationem
suam obtendant contumaces, non fuisse
easdem Pontificum prohibitiones sibi par-
ticipatim insinuatæ, nec proinde obligare.
Sed pragmatici Curia Apostolica sciunt
hoc iure inuolabiliter nos vii, ut litteræ
Apostolica affixæ ad valuas Basilicæ Prin-
cipis Apostolorum de Vrbe, & in acie cam-
pi Floræ, dimissis in præfatis locis earum-
dem litterarum copiis affixis obstringant
vniuersum orbem Christianum. Sed neque
hominis temeritas hic stetit; propositiones
plures à Pio V. & Gregorio XIII. ut hæ-
reticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ,
scandalosæ, & impias aures offensionem
inmitentes respectiue damnatæ, circum-
scriptæ, & abolitæ in lucem reuocare ac
tueri est ausus. Satius profectò fuerat Mar-
tini V. Academia illius institutoris succes-
sores prokido eiusdem consilio & vestigiis
insistentes à quinta hac Theologia facultate
ceteris adiicienda in partibus ita ab Vrbe
remotis abstimuisse, quam Ecclesiæ tran-
quillitatem his iniquissimis temporibus to-
ties ab eius alumnis inturbari. Sed quia
illustrior & sanior, ut intelligo, faculta-
tis pars hominis audaciam damnat, &
pauculi tantum Ianseniani ex cuniculis
leporinis eum defensant, omisa facultate
ad rem ad rem venire prestiterit. Capita
quædam nefariæ doctrine in medium

adducturus sum, ex quibus fiet manifestum non aduersus illam, quam dixi Pontificum damnationem, sed & contra concilia SS. Patres, atque tuam imprimis doctrinam, Profundissime Doctor, ac denique contra Scholasticorum consensum & rationem ipsam plurima ab eo esse scripta. Deum non velle omnes homines saluos fieri; neque Christum pro omnibus mortuum esse blasphemum contra Patrum & Ecclesie consensum atque apertam Tridentini Concilii definitionem asserit, ut nuper a nostris indissolubili syllogismo commonstratum est. Indifferentiam illam tribus iam seculis in scholarum pulpitis decantatam dum rejicio, quid aliud quam liberam arbitrii funditus evertit? Opera infidelium & virtutes Philosophorum vera esse vitia tam praesidenter definit, ut contrariam sententiam a Sede Apostolica probatam nugam, delirium, insaniam, errorem, impietatem contra Scripturam & fidem audeat appellare. Haec aliqua huius commatis dum vniuerso libro inculcat, nihil profecto aliud quam praesentibus Lutheri & Caluini succinere videtur: isdem S. Scripturae ac tuis Sancti Praesulis locis vititur seu potius abutitur: ad haec styli calore & assuerandi summam fiduciam alijque prorsus istis Magistris geminus. Infandas, quas retuli, propositiones cum animaduerteret homo uaser contra Scholasticorum omnium consensum esse excogitatas, inaudito fastu Scholasticam Theologiam exsibilare aggressus est; ratiocinationes ex Philosophia sumptas, quod ijs dissoluendis impari se agnosceret, ineptias ex classibus Dialecticorum petitas, & Theologos sectatores Dinomachi & Epicuri indigitat: in hoc rursu Hereticis nostri temporis non absimilis, quorum familiare conuiuium est, ad ueritatis & rationum potum a Catholicis opprimuntur, Sophistas eos appellare.

Quis nescit Ecclesiam Catholicam multis iam seculis Scholasticorum humeris sustineri? infidelis rationum probabilitate, quibus iam Theologia collucet, ad fidem Catholicam passim aduictos? Hereticos forma syllogistica energiam ubique protractos iacere? Vnum exemplum non possum non commemorare. Campianus in Anglia aduersus Hereticos hac inuicta usus ratiocinatione: si sola fides iustificat, sine charitate iustificat: sed sine charitate non iustificat: ergo non sola iustificat. ita aduersarios perculit, ut cum negare ea, quae sumebantur, non auderent, id solum exclamarint, uiciosam esse collectionem, quam tamen examinari ad leges dialecticas, quod urgebant Catholici, numquam passi sunt. Gretserus noster, cum Hereticorum quidam hanc formam Iesuiticam diceret, solide ostendit eam potius Christianam dici debere, ut quam Christo & Apostolis familiare fuisse tuo quoque testimonio Dignissime Praesul monstrauit. Quamquam nec negare quis possit multum Societati nostrae Theologiam & Ecclesiam debere, quod armorum generet a necessario diligentius ceteris instruat eius scientiam studiosos. Iam ex Physica quis fructus in Theologiam redundet illud abunde magnum est argumentum, quod eius praesidio Doctissimi Theologi nostri Ribera & Leysius capacitate inferni & numerum damnatorum, qui post diem iudicii futurus est, solerter collegerint. Quorum hic Physicis rationibus confirmant non futuros unquam centies mille millones damnatorum, ac proinde diametrum unius Belgici miliaris omnibus sine incommodo posse sufficere. His scientiarum adminiculis destitutus Iansenius cum ad Theologiae fastigium exire non posset, in scriptis veterum reperere constituit, ut nouum hoc genus Theologiae praeferret: quod cum perstrage

Imag.
primi
sac.

cap. 14.
Apocal.
lib. 13.
de mor.
diuin.
cap. 14.

Scho

Scholasticorum sibi tuendum esse videret, eos in primis, quos summum auctoritatis culmen in Scholis obtinere advertebat. Societatis inquam nostrae Atlantes, sibi prosterneudos esse duxit; Zuarium alterum Te, Vasquium subtilitate nulli secundum, Leysum iam iam inter Sanctos referendum, mirificum populus quem colit ad tumulum. His aliisq; Reip. Christiane luminibus nescio quas offundere nebulas, virisque modestissimis superbiam, sapientissimis puerilis hallucinationes, Catholica fidei defensoribus heresim affingere non erubescit. Quod in contumeliam quoque Sancta Sedis & Ecclesiae Catholica fieri quis non videt? dum eos peruersorum dogmatu atque adeo haeseos infimulat, quibus summi Pontifices Catholica fidei in variis regnis ab interitu vindicationem, in aliis etiam per immensa terrarum spatia propagatione acceptam retulerunt, ut sine ulla iactantia nuper a Nostris propugnatum sit, non exiguam praedestinatorum partem quamuis Orbis partem debere Societati. Quid? sceleratis Pelagij dogmatibus Societatem nostram inquinatam esse, qua dextrum Ecclesiae brachium a Sancta Sede appellata fuit. Quae per Regij Vatis Psalmum 67. Ecclesiae laboranti promissa est, ut solide demonstrat Velasquez noster; atque ab Isaia Propheta cap. 18. praedicta: a Sancto item Ioanne Euangelista praenuntiata primum cap. 9. Apocal. factis aperte; ac deinde etiam cap. 10. vbi Angelus ille altero pede mare, altero terram premens intelligitur Ignatius, cui dictum est; oportet te iterum propheterare gentibus & populis & linguis & Regibus multis. ubi & perpetua seculorum Societatis series designatur, dum dicitur: in diebus vocis septimi Angeli cum coeperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, Atque ut ad viciniora veniamus; quae a S. Vincentio tractatu

de vita spirit. cap. 19. in spiritu praevisa est; imo etiam (& haec velut capit alia aduersi velim) imo, inquam, etiam a Ioachimo Abbate; quanto vno! & sicut propinquius, ita adhuc apertius ab Archangela Panigarola Canobis S. Marthae, cui praefuit, Religiosa: a Francisci Xaverij sorore Discalceatum Antistita: a Reinolda vidua Arthemienfi. Illam? inquam, quae ex celo in mundum diuinitus missa & destinata est ad propagandam & promulgandam immaculatam Matris Christi conceptionem; uti Alphonso Roderiguez a Virgine ipsa inter familiaria colloquia fuit declaratum. Illam denique? quae caelestibus promissis est certior reddita, neminem ex eius Angelico coetu tribus prioribus saeculis nisi ad beatas sedes euolaturum; idque sine ulla Purgatorij remora; cum hoc sit hominum Societatis privilegium, ut mortuum Iesuitam obuius Iesus excipiat: ut ex his perspicuum euadat in Resurrectionis die multa millia Beatorum ex hac sola Societate pares crimes numeratura. Et ut socios aliquot nostros inuasisset, impetisset; certe a Belgica Societate calamum abstinere debuerat, utpote quae sub ipsum S. Ignatij in caelos ingressum primum honorarium a Diuina Maestate concessum est. Sed longior non ero in Societatis encomiis recensendis, quae liber noster saecularis abunde suppeditat; ac finem dicendi facio, si vnum, quod causa iugulum petit, adiunxero. Sanctissimi Pontifices, uti dixi, Pius & Gregorius propositiones plures damnarunt & proscripserunt; hoc peto, an recte, nec ne? Non recte damnatas esse, nefas est dicere, Recte igitur damnatas esse oportet. Unde infero Iansenij, quoque propositiones plurimas pro damnatis habendas esse, quippe quae vel isdem vel aequivalentibus verbis astruantur.

Dixerat ardens incitatusque Accusator,

Theolog. Praefide P. Ioaghe anno saecul.

Imag. primi saec.

Theolog. Praefide P. Ioaghe an. saec.

Idem ib.

Position. Sacra Praefide P. det Kennis an saec.

Ibid.

cusator, more familiæ suæ nimirum affectibus indulgens.

*Cunctique fremebant
Assensu vario Patres.*

Itaque clamor iâ, & confusæ voces. Canus quidam & caluaster inter alios è in Socijs audiebatur. Hunc mihi infusurrabat Eubulus ex Vasquij discipulus esse. Nec obolo dignus inquit, huius hominis liber est; quippe ne vnû quidem in omnibus folijs sylogismorum habet: Rethor tantum est, nō Scholasticus, ad hæc tam certo hæreticus, atque ego sum Vasquij discipulus. Alius negabat Iansenium vllo modo Theologum esse; quid enim, inquiebat, Scripturæ professio aut Patrû lectio ad Theologiam? ima ingenia apud nos hanc prouinciam sustinent. Post Patrem Cornelium & Tirinû quid superest in Scriptura nisi compediatio? Erat qui diceret iam apud Louanienses constare, à Iansenio ne Zuariû quidem aut Vasquium, quos tam impudenter perstringit, lectû. Nuper aiebat, viri eruditi & apprimè in Theologia docti nec nostri ordinis dicebant, videri à Iansenio nullum Doctorem Scholasticum inspectû: vnde per infallibilem consequentiâ sequitur, nec Vasquium lectum nec Zuarium. Quidam ex turba clamabat causam hanc iugulatam esse per sacras Theses Louanij defensas, ad quas expugnandas duo summi Theologi Academici conuenerant quidem, sed nec hilû profecerant. Multæ erant huiusmodi voces. Sed Augustinus, dic tu, inquit, Pater Protodeutere, cui patrocinium huius Rei commissû intellexi. Ad Protodeuteri nomē subitum silentium fuit: erat admiratio viri docti, pij &

quod inter omnes constabat, candidi. Surgit Protodeuterus, *Atq; manum crucis instar agens sic incipit ore.* Studijs adhuc certatur Sanctissime Præsul, minime ex æquo veroque. Ego nullarum partiû homo sum: itaq; mihi mens est, sine studio, sine odio, quorum causas procul habeo, rē exequi; neq; alio quam veritatis auctor ameto hanc causâ tueri. Quatuor omnino accusationis capita sunt: scilicet de auxilijs diuinis sine Apostolica Sedis licentia à Iansenio scriptum esse: deinde ita scriptum, ut in Pontificiâ damnatione doctrina impingat: tum Theologiam Scholasticam ab eo exhibilatâ esse: ac postremo famatissimos Societatis Theologos immerito ab eo vapulasse. Primû non nisi cōmuni retundâ defensione; eû, qui in alios dicere paratus est, omni probro carere debere. Nimirum scriptores Societatis etiâ post eâ legem de auxilijs diuinis cōmentati sunt; plures ex professo, ut Tannerus, Marattius: incidenter autē, quodæque vetitū est pœnè omnes. Dicam quod res est, hoc solum à S. Sede decretû fuit, vt scribatur Nuntijs Apostolicis, hiq; notificent Vniuersitatibus studiorum, & Superioribus Ordinû, ne sinant edicti tractatus de auxilijs diuinis. Nunc sine Nuntio Belgico numquam scriptum sit, siue Louaniensibus ille non denuntiauerit, decretum ad eos non penetravit. Vnde & alij de eadem materia ante hac palam scripserunt; atq; adeo fuit, qui Legato Apostolico commentarium suum inscripserit. Internuntius quidē Apostolicus inuitatus, vt intelligitur, à socijs executione Pontificia prohibitionis per literas vixit, & Vniuersitatē, quam eâ tereri iam existimabat, de opere supprimendo admonuit: sed ex responso didicit, legem numquam insinuatâ fuisse, ideo nec obligare. Publica-

tio in Vrbe sola quam vim alii edictis Pontificiis tribuat presertim in Belgio, iam non disputo. Quotidie intelligimus, quibus moribus, qua libertate Gallia, qua Belgium viuat. Hoc certè decretum, vt obligaret, insinuandum fuit, cum ipsum disertè hoc exprimat, vt notificetur Vniuersitatibus studiorum, quod publicatione Romana impletum non est. Detecrà hac calumniã, quam certum est mala fide structam esse, transeo ad secundum, atque, vt apparet, palmarium accusationis caput. Dixisti Nugo, propositiones à Pio & Gregorio damnatas à Iansenio resuscitatas esse. Non ignoras Toletum rei gesta, si vllus fuit, gnarum, & Vasquium, aliosque Societatis tuæ Scriptores propositiones, quas nunc damnatas dicis, aliquo sensu tenuisse, tradidisse. Cur hoc in Iansenio accusas, quod in maioribus tuis non damnas? Mentem Gregorij Toletus non ignorauit: Vasquius ab eo didicit: vterque censuit quarumdam non tam doctrinam damnatam esse, quàm per id temporis nouitatem & insolentiam: & quarum ipsa doctrina videri potest reiecta, eas aliquo adhuc sensu veras esse & ipsa diplomata, & quos dixi, Societatis Scriptores fatentur. Quid igitur peccauit Iansenius, qui eum sensum damnationi subducere studuit, quem olim Pontifices & Ecclesia duce Præsule nostro probauerunt? Si hoc assecutus est, vt cordati omnes Theologi censent, & tuo mox assensu, summe Magister, comprobandum expectamus, laudem imò præmium mereatur: si non est, quod pauci tenebriones sentiunt, conatus tamen optimus vituperari non potest, Scio quid Louanienses Symmysta tui garriant & regerant: per paucas propositiones ex septuaginta nouem veras esse: neque alias, quàm duas illas tresve, quas Toletus & Vasquius tradiderunt. Sed ò bone, quis spiritus has à ceteris discreuit? quis vetuit, quod in tribus illis factum est, in

aliis tentari? si licuit hoc Vasquio solis subtilitatis dotibus instructo excutere, cur non & Iansenio ad Lydium lapidè, hoc est Antistitis nostri scripta, explorare. Examinentur propositiones omnes à Iansenio tradite: nulla comperietur, quam non iisdem verbis aut scripseris Augustine, aut ita euidenter ex scriptis tuis eliciatur, vt scripsisse debeas existimari. Hanc doctrinã, cui Ecclesia Catholica tot sæculis innixa fuit, existimas à Romanis Pontificibus cæseri posse danatam, tot diris & cæsuris esse proscriptam? Inanè olim triumphum Ecclesie pepereris Gloriosissime Præsul, si hæc doctrina tua bases conuellantur. Non dubito, quum, quã valuisi semper perspicaciã, intelligas, per latus Iansenij tuã ipsius doctrinam impleti. Id quamquã nunc dissimulent peritissimi stropharum architecti, & verba quedam tua in suos sensus aptent, vt olim Synodum ipsam vasfris interpretationum commentis coryphæus ille hostium tuorũ elusit: testantur illa voces, quæ alibi magis securis, aut non satis aduertentibus exciderunt: ex opinione Augustini cogi nos incidere in sententias Pelagij. Crudelitatem ac truculentiam, & desperationis occasionè doctrinæ eius inesse. Ex Augustini opinione concertationibusq; cum Pelagianis multos fideles fuisse turbatos, & ad Pelagianos defecisse. Non esse probandam doctrinam Augustini, sed aliter Philosophandum. Quidam clamant non solum se Augustino aduersari, sed & se consentire sententiæ Græcorum, Gallorum, & Massiliensium. Quibus egregiè succinunt Louanienses Loiolite, dum & in dictatis & in colloquiis suis nusquam Augustini doctrinam numquam ab Ecclesia esse probatam: multa eum cõcionatorio more ultra verum extulisse: contra Manichæos liberum arbitrium prædicasse, cõtra Pelagianos nimium id diminuisse,

Vasq. 1.
 2. disp.
 132. c. 3.
 Catharinus.
 Molin.
 in conc.
 ad quest.
 23. a. 4.
 & 5. disp.
 1. memb. 6.
 Vasq. d. 1.
 disp. 193.
 cap. 4.
 Ozor.
 de Rub.
 & alij
 apud
 Vasq. 1.
 p. disp.
 91. c. 3.

Plura non dubiè & apertius addituri, nisi formidine Romani oraculi in doctrinam istam nuper propensi stylum vertissent. Itaq; quod maiores eorū ex pectore, hi intra dentes muscitant. Atque eò paulatim versatili in omnes dolos ingenio deueuerunt, vt quam doctrinam illi reiecta fronte Augustino contrariam asseuerant; hi cōsentaneam esse quia tempus & occasio ita postulant, affirmare ausit, & ostēdere moliantur. Iam que ad infamandam viri doctrinam exempla attulisti, nullam desiderarent responsonem, si integra, & quo ipse scripsit, sensu representasses. Redde ei verba sua, & euanescent calumnia tua. Negare ais Iansenium, Deum velle omnes homines saluos fieri. Nemo Christianus hoc neget, quod apertis verbis Apostolus scripsit. Interpretatus verò ipse est non suis, sed Præsulis nostri verbis: ita intelligere debemus, quod scriptum est, qui vult omnes homines saluos fieri, tamquam diceretur, nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit; non quod nullus sit hominum, nisi quem saluum fieri velit. Quæadmodum dicimus per vnā ianuā intrare omnes: non quia omnes intrant, sed quia nemo intrat nisi per illam. Quem intellectū & Angelicus Doctor noster ad eum Appstoli locum cum Prospero, Fulgētio, & Anselmo probauit. Scio diuersam vestris interpretationem arrisisse, vt videlicet Deus omnes saluos velit, quātum in ipso est, si modo & illi velint. Quā ab hostibus gratia confictam, & à te constanter reiectam, Sanctissime Præsul, non igitur. Christum pro omnibus mortuum seu dedisse se redemptionem pro omnibus de omni hominum genere & pretij sufficientia tecum Diuiniſime Doctor, & secundum Prosperi sensum, ad quem Synodus Tridentina lectorem remittit, Iansenius exposuit. Adulterinam aliam expositionem iuxta no-

biscum repudiauit, vt redemptionis proprietatis ac redimentis intentio ad eos quoque pertineat, de quibus ipse dixit, non pro mundo rogo. Meministi scripsisse te, non perit vnus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. Et alibi hunc locum exponens; conclusit omnes in infidelitate, vt omnium miseretur. Quid est omnium? & eorum scilicet, quos ex gentibus, & eorum, quos ex Iudæis prædestinauit, vocauit, & iustificauit: non omnium hominum. Syllogismus autem ille, quem iactitas, à musteo Dialectico, si distinctionem Prosperi teneat, dissolui poterit. Voluntatis indifferentiam & gratiæ efficientiam eodem intellectu Iansenius tradidit, quo etiam post Tridentinum D. Thomæ discipuli, vt scilicet voluntas gratia instructa in sensu diuiso possit adhuc nod agere, & à gratia dissentire minimè in sensu composito. Sine gratia tantum arbitrium nostrum tantum ad peccandum valere: cum eadē insuperabiliter & indeclinabiliter in bonum agi, & agere tam luculente per omnia tua scripta diffusum est, vt cæcum esse oporteat, qui id non videt. Tot vndique impetitus de sublata libertate calumniis nec latum vnguem ab hac doctrina discedendum censuisti, ne hac basi nutante vniuersa machina collaberetur. Hic est lapis angularis doctrinæ tuæ, lapis offensionis hostium gratiæ & deceptorum liberi arbitrii; quo immoto omnia constant reuulso omnia labuntur. Reuelli autem non potest, quamdiu Pelagianorum victoriam te Duce Ecclesia profitetur. Atque hinc etiam pendet quod postremum de operibus infidelium attulisti Nugo, quod tanta vbique fiducia Præsul noster asseruit, vt contrariam doctrinam erroris, insanie, impietatis, aliisque illis titulis insigniuerit, quos inuidiæ concitandæ causâ Iansenio asseripsisti. Si propositiones, quæ nuper à Sede Apostolicæ damna-

Epist. ad
Euod.
102.

Lib. 21.
de ciuit.
Dei. cap.
24.

1 En-
nerid,
ap. 103.

damnatas dicit, cum hac doctrina confo-
uant, alio sensu damnata sint oportet; nisi,
quod nefas est dicere, eandem secum pu-
gnare velimus. Et verò plures istarum pro-
positionum sensus esse, & in aliquo sustineri
eas posse, ipsa Pontificia diplomata sonant:
licet id temporis vt offensionis causa vetita
fuerint: quod eo minime pertinere censend-
um est, vt sanctissima doctrina perpetua
obliuione sepeliatur. Tertium accusationis
caput peræquè calumniosum est. Quid enim
ais? Scholasticam Theologiam à Iansenio
damnari vsus ille nūquam damnauit, sed
abusum. Fatendum est enim, Eruditissime
Magister, eo iam ventū esse hoc doctrinae ge-
nere, vt vetus & germana Theologia in
scholis tantum non obruta sit & sepulta.
Pulpita omnia plusquam Chrysippus sub-
tilitatibus perstrepunt, de formalitatibus,
relationibus, notionibus, quidditatibus, aliis-
que sexcentis nugis, quas ex scholis Philoso-
phorum adserunt, qui magnam etatis par-
tem ibi contriuisse debent, antequam Theo-
logie admoueantur. Sunt qui syllogismis a-
liquot & distinctionibus instructi audent
incunctanter cum quouis qua vis dere ma-
num conferere; hominum genus quouis ere-
dodoneo loquacius, quorū vnus quiuus cum
vicenis delectis mulieribus garrulitate cer-
tare possit. Atque interim his suffugijs mu-
niti nec vulcanis vinculis sic possunt irretiri,
quin dexterrime elabantur, ac nodos omnes
ita facile secant, vt Tenedia bipennis nō pos-
sit melius. Apostoli &, qui his propinqui
fuerunt, confutarunt Ethnicos Philosophos
& Iudeos suapte natura pertinacissimos, sed
vita magis ac miraculis, quam syllogismis:
nunc humanis ratiocinariunculis & ipsorū
Ethnicorum argutijs credunt hanc rem me-
lius confici posse. Scilicet quis Ethnicus, quis
Hæreticus non continuè cedat tot inuictissi-
mis syllogismis? quis tam frigidus, quem illa
non inflamment acumina? quis tam stupi-
dus, vt talibus non excitetur aculeis? quis

tam oculatus, vt hac illi non maximas of-
fundant tenebras? Si quis me iocari dixe-
rit, sciat à doctis omnibus non aliter quam
risu hac exhibitari solere. Atque interim viri
suauis existimant, se vniuersam Ecclesiam
alioqui ruituram non aliter syllogismorum
fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum hu-
meris sustinet apud Poëtas: & elati subtili-
tatibus tamquam ipsi tertium incolant cœ-
lum, ita reliquos mortales omnes, velut hu-
mi reptantes pecudes, despiciunt & prope
commiserantur. Doleant potius se in affini-
tatem incidisse cum his, quorum gloriatio
erat, suos per syllogismorum spineta
disputando & philosophando decur-
rere. Iam quid perniciosius in moralibus,
quàm quod in hoc omnes incubant; vt Ari-
stotelicâ qua piâ ratiocinatione omnia pro-
babilia reddant: eoque res deuenit, vt vnus
quoque hominis subtilitas probabile possit
reddere, quod sequi liceat cuius, quamuis
contrariam sententiam conscientie eius ve-
ritas dicet. Cupiditatibus hominum tan-
tam fenestrâ hoc Theologia genus aperuit,
vt iam prope nihil sit, quod non integra, vt
existimant, conscientia perpetrari possit.
Cum Nazianzeno dicere audeo. Philoso-
phi in Ecclesiam tamquam quædam
Ægyptiæ pestes irrepere. Et cur
quæso tamquam pestes? Ex Tertulliano ra-
tio peti potest: quiduis struere & de-
struere docti sunt. Huic malo non aliud
paratum remedium est, quàm si sobriè &
cum modo haberi Philosophia cœperit, &
Theologie studiosi ad veterum lectionem ac-
tua præsertim volumine, Doctissime Præsul,
reuocentur: quod dum facere conatus est
Iansenius quid commeruit? imò ver. mul-
tum de Ecclesia ipsa mrruit. Postremum
caput, quod encomijs Societatis totum tu-
met, non alio concilio adiecisse mihi videris,
quam vt occasionem tibi formares, laudes
tuorum huic confessui ingerendi. Metus
forsan, ne quis adhuc reperiat, qui sacu-
larem

larem librum vestrum (profecto enim Ecclesiasticus dici non potest) non legerit : quem tamen etiam in vernaculam linguam , ne plebs virtutum istarum ignara esset , magno omnium fructu transtulisti : addito tamen infando mendacio , nisi restrictione mentali excusetur , Iansenij nouum opus , seu , vt olidâ vestra phrasi vtar , fœtida vaccarum cadauera à Pontifice esse prohibita . Vaticanis & prædictionibus , quas in medium adduxisti , quisque tribuet , quod volet : & si quis etiam altera plura desiderat , legere poterit B. Heldegardis prædictionem apud Bfouium relatum , vbi non pauca in Societatem conueniunt . Sed hæc quia à proposito aliena sunt & , vt quibusdam videri potest , anilia deliramenta viris indigna , præteribo . Ego Societatis institutum saluberrimum agnosco : viros in ea doctissimos extitisse non nego : Molinam , Bellarminum , Zuarium , Vasquium , Leysum , aliosque suspicio venororque : sed expertes errorum fuisse , dum Philosophia duce in arcana Dei penetrare voluerunt , numquam concedam . Errores autem notari veritatis semper interfuit . Sed grauius , inquires , quam par erat , doctissimi viri perstricti sunt . Vetus dictum est , qui , quæ vult , dicit : quæ non vult , audiet . Quid illi in Antistitem huc nostrum primi effuderint , cogita : ac deinde si quid inclementius à Iansenio dictum occurrat , scias non dictum esse , sed responsum , quia leserunt prius . Obiectione pro solutionibus arreptas esse cur aperire non liceat , si factum est , vt ipsa rei euidencia ostendit ? Subtilissimi viri mente mille abstractionibus occupatâ obiter tamquam caries ex Nilo aliquid ex scriptis veterum libarunt : & non existimant humani aliquid sibi potuisse obrepere ? ferant hoc ab eo , qui atatem totam huius Magistri scriptis se immerfit , & sanctissimâ doctrinam altissimè imbibit . Epilogus tuus , quem cornuta argumentatione tamquam valido ariete munuisti , vides ex his , quæ supra

differui , quàm infirmus sit . Nemo in dubium reuocat Pœnitentiam damnationem : at , quemadmodum ostendi , non omnium propositionum doctrina , sed quarumdam insolentia damnata est : non omnium omnis sensus : certè non ille , quem huius Benedicti Doctoris atque Ecclesie olim fuisse potest demonstrari . Itaque vt finem dicendi faciam : existimo non de Iansenij opere hic agi , sed de tua ipsius doctrina , Sanctissime Præsul imo vero de ipsa veterum Pontificum & Ecclesie sententia , quæ vt in capitalibus dogmatibus conucllatur , Spiritum Sanctum huius conuentus præsidem præstitemque numquam admissurum scio .

Magni huius & docti Magistri , & , quod cõstabat inter omnes , minimè factiosi oratio perculit animos : & plerique succlamarunt illud tritum ; omnes , omnes . Præfules certatim de subfelliis suis deuolarunt , & Iansenium amplexati sunt ; rapuerunt que Virum ex Ætolorum frustra frementium manibus ad se , ac iuxta se locum dederunt . Omnium deinde ora in Augustinum conuersa postremum ab eo oraculum expectabant . Silentium altum fuit , cum ille in hæc verba fatur .

Video huic Fratri meo euenisse , quod mihi olim factum est . Scripta mea , quibus error Pelagianorum impugnatur , insamarunt nostrorum etiam quidam , dicentes me liberum arbitrium penitus submouere , & sub gratia nomine necessitatem predicare fatalem . cum tamen noscerent , Romanam , Africanamque Ecclesiam , & per omnes mundi partes vniuersos promissionis filios cum doctrina mea sicut in tota fide , ita in gratie confessione congruere . Sed non lauit cur ista dixerint : voluerunt enim in sua iustitia magis , quam in Dei gratia gloriari . Nunc rursus Philosophi huius mundi ar-

Prosp.
in epist.
2d Ruff.

Aug. ep.
106. ad
Paul.

gute

Lib. 2.
cōt. Iul.
cap. vlt.

Epi. 120.
cap. 37.

Lib. 6.
cōt. Iul.
cap. 5.
Lib. 3.
cap. 2.

Lib. im-
per. op.
f. 243.

Lib. de
gat.
Christi
cap. 47.

gute defendentes naturam & liberum arbitrium offenderunt in lapidem offensionis; illi prae ceteris (quod dolendum!) qui omnia ad maiorem apud Deum gloriam referunt; ac tales quos non facile contempnas; sed continenter viuentes atque in bonis operibus laudabiles. Sed manifestum est in hoc non Dei spiritum habere, at mundi. Itane vero contra Ecclesiam Matrem vestram ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugnantibus debetis armari? Hoc scilicet est acumen vestrum? haec Dialectica artis astutia? Circuitis querendo Dialecticos, & vitandos Ecclesiasticos iudices. Neque vos iuuat, quod ita sententias vestras temperastis, vt nostrae possent videri. Potuit & Pelagius ita solatebris obscuritatis inuoluere, vt etiam is, quae à S. Ambrosio conscripta posuimus, consentire se diceret, & ea se quoque sentire proclamaret: atque ita singula conaretur exponere, vt etiam eius sententiae congruere viderentur. Cardinem contentioni vestrae eundem, ac olim, esse video de libero arbitrio & gratiae potentia. Huius vero sensus rei, quem non tam meo, quam Ecclesiae nomine prompsi, cum à duobus cōcilijs Numidiae & Carthagini mihi scribendi prouincia mandata fuerit, nobis obscurus esse non potuit. Clamabat & tunc Iulianus: libertas arbitrii in admittendi peccati & abstinenti à peccato possibilitate consisti. Item, liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum. Rursus, peccatum non esse, nisi voluntas illo ipso tempore, quo peccat, potestate habeat recedere à malo. Stultum & prophanum me appellabat, quod liberum vocarem, quod nisi vnum velle non posset. Replicauit, liber ergo Deus non est, qui malum non potest velle. Atque in totum ita saepe definiuit: fides Catholica neque liberum arbitrium negat siue in vitam malam, siue in vitam bonam; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia valeat aliquid. Ac passim: liberum arbitrium ad malum sufficit,

ad bonū autem nihil est, nisi adiuuetur ab Omnipotenti Deo. Rursus: errasse eos qui putant nullam esse necessitatem peccandi, aut hanc non intelligunt illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est. De gratiae potentia huiusmodi scripsi: Deo saluum facere volenti nullum hominis resistit arbitrium: sed ad seipsum omnipotentissima facultate conuertit, ac volentes ex nolentibus facit. Indeclinabiliter & insuperabiliter diuinā gratiā homo agitur: ea à nullo duro corde respuitur. Atque cum his recte consistere censui; consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propria voluntatis est: & quae in eandem sententiam opponi nūc audio. Deum velle omnes homines saluos fieri ita Pelagius & Iulianus exposuerunt; si accedant ad eum; seu si ipsi velint. Eos secuti Massilienses, vti ad me Hilarius scripsit, expositionem meā non susceperunt, vt eos tantum Deus velit saluos fieri, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino, vt nullus habeatur exceptus. Hunc sensum, etiam vestrum Accusatores, ita tunc refutauit: si Deus omnes vult homines saluos fieri & in agnitionem veritatis venire: atque ideo non veniunt, quia ipsi nolunt; cur tot millia paruulorum, qui non percepto baptisate moriuntur, non veniunt in regnum Dei: numquid aut homines non sunt, vt nō pertineant ad id, quod dicitur, omnes homines? aut aliquis potest dicere, Deus quidem vult; sed ipsi nolunt; qui nondum velle, vel nolle ista nouerunt? Alibi adhuc sensum meum sic apperui: ita dictum est, omnes homines vult saluos fieri, vt intelligantur omnes praedestinati; quia omne genus hominum in eis est. Expositionem à Protodeutero allatam etiam probauit: vestram ò socij constanter respui. Eodem sensu Christum pro omnibus mortuū docui: scilicet misit Deus Filium suum propter praescitos & praedestinos vocandos, iustificandos, glorificandos.

Lib. op.
imp. f.
155

De cor
& grat.
cap. 14.
Epi. 107
ad Vit.
De cor.
& grat.
cap. 14.
Lib. de
praedest
Sanct.
cap. 8.
Pelag.
epist. 2.
ad Tim.
cap. 2.

Lib. 4.
cōt. Iul.
cap. 8.

Lib. de
cor. &
grat. c.
13.

Serm. 6.
de verb.
Apost.
cap. 8.



Quando enim perit, qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo; & Christus perdit, quod emit sanguine suo? De ignorantia inuincibili tenete, quod olim inculcari. Si quis bonum putauerit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando utique peccat. Et ea sunt omnia peccata ignorantie, quando quisque bene fieri putat, quod male fit. Alibi quid appetendum quid faciendum sit, quanto labore discitur? qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Pro infidelium operibus urgebat me Iulianus: si Gentilis nudum operuerit, numquid, quia non est ex fide, peccatum est? Respondi: prorsus in quantum non est ex fide peccatum est; non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari solus impius negat esse peccatum. Alibi aperte definiui: omnis infidelium vita peccatum est. Voluntas infidelis arbor est mala, qua non potest facere nisi fructus malos. Quidquid boni fit ab homine; & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia precipit, ipso non recto fine peccatum est. Videtis igitur filij quomodo deniastis: obliquos multos tramites & extricabiles scidistis. Patimini ut fragilis & arguta nomitas vestra Sanctorum Patrum auctoritate conteratur: atque hac imprimis doctrina, quam Romana sequitur & seruat Ecclesia.

Summo applausu omnium accepta fuit Augustini Oratio: solis freudentibus Socijs, & aduersus hanc Lunam clamose latrantibus. Raucus vnus ex eorum turba; hoc hoc est, inquebat, quod augurabar & dicebam non debuisse nos venire ad

hoc tribunal hominis nimis rigidi & exacti & probabilitatum nostrarum ac Philosophia oforis. Interibi non continuit se Prosper, quin melosuum rursus effunderet.

Insano veterem renouatis ore querela,
Omne opus arbitrij sublatum vociferantes:

Nec vitij spenam deberi, aut premia laudi,

Si vel naturam obstrictam mala velle necesse est,

Vel nostro ascribi nequeunt bene gesta labori.

Gratia, qua Christi populus sumus, hoc cohibetur

Limite vobiscum, & formam hanc ascribitis illi,

Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetq;, nec vllum.

Præteriens studeat communem adferre salutem

Omnibus, & totum peccato absolueret mundum,

Sed proprio quemq; arbitrio parere vocanti,

Iudicioq; suo mota se extendere mente Ad lucem oblatam, que se non subtrahit vlli.

Sed cupidos recte iuuat, illustratque volentes.

Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro

Et quod non cuncti mortales atria vite Ingressi sunt, ita ex ipsis pedere putatis,

Vt tam ex iudicio constet cuiusq;, quod intrat.

Quam quod non intrat: seu par in vtrumque facultas.

Suppetat, ut tam sit proprium bona, quam mala velle.

At contra; omnipotens hominem cum gratia saluet,

Ipse suum consumat opus: non moribus illi

Fit

*Fie mora; non causis anceps suspēditur vllis.
Omne etiam probitatis opus, nisi semine
veræ*

*Exoritur fidei, peccatum est, inque erratū
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœ-
nam.*

*Quodque caput satis est, males vt tota re-
surgat*

*Pelagij. Monus hoc olim, quod tota nefanda
Hereticos summa exigua sub parte rega-
tur,*

*De qua plena mali labes renouetur, &
omne*

*Commenti corpus per singula membra re-
surgat.*

Recreatis omnibus poëmatibus sua-
uitate conuentus solutus est: solis
Sociis caperātibus frontem ad stre-
pitum huius lyrae. Maluissent, in-
quit Eubulus, oden aliquam ex Ima-
gine primi sæculi audire præsertim
ex capite de *Societate honorata.*

Vt ex domo læti prodiimus: Eu-
bulus ad me; vidimus qui hic actum
sit Hippone: tu modò narra, quid
Louanij in ea re factitatum sit. Lo-
uanij, inquam, eodem res loco est,
quo hic Hippone; Sociorum scilicet
causa in medio est luto. Magistri ta-
mē Academici inter se dissecti sunt.
Quidam neutri se parti associant,
omnes illas disceptiones nec vnus
æstimantes assis. Prudentiam alij in-
terpretatur, quod neque consultum
censeant, crabrones irritare; aut ante
Romanam definitionem alterutri
parti se adiungere cum periculo cõ-
demnationis. Alij ad Librum legen-
dum verentur ingredi, ne ab imbibi-
tis suis sententiis distraherentur. Sunt,
qui in Libri doctrinā splendidissime
bilescent: & hi puri Aristotelici, pu-
ti Scholastici sunt. Merito ergo tu-
multuantur, ait Eubulus: nam si do-

ctrina Ianseniana inualescat; ac illud
imprimis; quod vult omnia ex Patri-
bus esse haurienda relicto Aristotele;
ne grij quidem in Theologia scient,
eamque ab elementis discere cogen-
tur: quod enimvero cano capiti est
indecens. Rem acu tetigisti, inquam.
Porro sunt, qui Librum defensant
acerrimè: inter hos alij calidi, alij
frigidi, alij cynica mordacitate for-
midabiles: atque hi per pontem stra-
rum ad metam suam scopumq; per-
ueniunt. Feruet opus; stringuntur
vtrisque calami. Intellego, inquit
Eubulus, aduersus Iansenium sacras
& solennissimas Theses esse editas.
Ita, inquam, sacras quidam accipiunt,
quemadmodum apud Virgiliū *auri
sacras fames*, hoc est icelesta. In matu-
dina disputatione tumultus leuis fuit
ab vmbri Iansenianis. Intererant
Magistri duo, Viri scripti clarissimi;
quorum alter plaustrum librorum
conscripsit de omni penè argumēto,
atque inter eos quidam vnus folij
sunt: alter de ente rationis & capitali
illa syllogismorum materia cõmen-
tatus ostēdere potuit, quātus Theo-
logus mox sit futurus. Pauci Reli-
giosi aderant; quia citati libello fa-
moso ad licentiam veteris comœdiæ
noluerunt spectatorum numerum
augere, lactitarunt inter suos Socij
rogatos & prensatos fuisse à Iansē-
nianis, ne irēt. Oblatus est etiā libel-
lus Serenissimo Principi à Celeber-
rimo Valquij discipulo, quo conten-
dit, ne Ianseniani operis patrocini-
um suscipiat: sed necdum impetra-
uit paragraphen. Rescripsit Typo-
graphus Querimoniam, & sale mul-
to Socios defricuit. Responserunt hi
rursum variis libellis strepētes tam-
quā cicadae alis correptæ: modo liti-
gantes

tigantes meretricularum instar, & eadem verba regerentes: modò minutias aliquas refricantes libellulis pluribus, omnibus tamen in folio, vt cum Thesibus compingi possint; & ideo etiam appellare pergunt siue apologeticas, siue additionales; vaferrimo scilicet commento! Pater Viuerus neruofissimum & ingētem commentarium edidit cui titulum fecit *ad rem, ad rem*. Sed alij literas verterunt, & res olida in risum abiit. Aliorum Ordinum Religiosi tacent hæctenus, & ludi spectatores sunt: nisi quod Candidus Ordo primum lapidem cœpit iacere in adulteram attritorum doctrinam. Sed mirandum de Augustinianis; cur ipsi Augustino suo offerendo non ardētius allaborant. Malè fortassis eos habet, inquit Eubulus, quod homo vnus non Eremita melius Augustinum intellexerit, quam ipsi omnes. Fortassis, inquam. Adde, quod ex mantica viuunt, propitios debeant habere Socios apud omne hominum

genus gratiosos. Quid? an non minantur viris in summo dignitatis gradu constitutis; se posse illos Societati aduersantes dignitate exuere? Ita omnes potentia sua terrent, ne causæ Iansenij faueant. Et versutè omnia obseruant, explorant: nihil in conuiuuiis, nihil in accubationibus epularibus garritur, nihil in conuenticulis, quod ipsi per suos non resciant. Sed hoc lepidum Eubule. Qui de Ethica aliquid cōmentati sunt, valde agrè ferunt Iansenium; quod Ethnicorum omnes virtutes conuincat esse peccata. Ergone sic tota nostra, inquiunt, euertetur Ethica? Querela hæc ad Petermannorum aures accidit. Et præ aliis quidam solutiore lingua, cereuisiaque rubens; si Ethica, inquit, vestra, ô boni, euersa est; superest aliud (quod sua lingua vocabat drinckikam) hoc nobiscum exercete: & simul cantharum cereuisiarium obtulit.

Disserere omnes risu bibulissima turba.
Et mihi præ risu Somnus solutus est.

F I N I S.

PARISIIS, Anno M. DC. XLI.



